PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM
CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIBVS A. MDCCCXIX.
AD PRIDIE KAL. QVINTILES A. MDCCCXX.

HABENDAE

INDICVNTVR

A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

PRAECEDIT G. E. GRODDECKII DISPVTATIO
CONTRA INIQVA QVAEDAM DE VETERVM
LINGVARVM STVDIO IVDICIA.

VILNAE
EXCVDIT IOSEPHVS ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHVS.

Veteres memorans linguas, multis de causis, eisque in vulgus notis, Graecam et Latinam intelligi volo, nec de duabus alteram, Latinam puta; quam qui studiis nostris minus favent, opinionis vel usus per eruditorum orbem late sparsi pudore quodam ducti, bonis adolescentulis addiscendam quasi precario concedunt; sed utramque, docto homini doctrinaeque elegantiam appetenti aeque necessariam, aeque utilem. Nam vehementer errant qui, quae commoda non nisi utriusque sermonis studio accurato comparantur, ea solius Latini peritia qualicunque assequi se posse existimant. Tantum enim abest ut qui in Latinorum modo scriptorum usu et lectione se contineant, antiquitatis scientiam prope infinitam comprehendere possint, ut ne sermonis quidem Latini, e Graeco quippe fonte deducti, ad Graeci consuetudinem conformati, rationem et naturam penitus perspectam habere queant; immo in multis et verborum et sententiarum nodis expediendis aut dubii atque incerti haereant, aut prorsus caecutiant, aut ultra divinandi temeritatem haud assurgant necesse sit. Quae quum ita sint, nunquam satis mirari potui, quae tandem ratio induxerit iuventutis erudiendae praesides, ut, in hac liberalium disciplinarum quae in scholis traduntur multitudine, Graecam linguam et litteras, praestantissimum illud ingeniorum pabulum, omnisque cultus humani florem, proscriberent, et, velut scientiam quamdam perreconditam paucisque utilem, ad Academias, vel litterarum, quae dicuntur, Universitates ablegarent; relictis nihilominus Latinis, quas qui, Graecarum imperitus, ut par est colere, nedum alios docere possit, reperietur nemo.

Sed dudum vereor, ne multis fortasse ineptus videar, qui pro utriusque sermonis, Graeci et Latini, consociando studio pugnem, hac praesertim aetate, qua non paucos exstitisse constat, qui omne veterum linguarum studium, quod nec utilitatem habere, et ingeniorum incrementa inhibere, hac certe litterarum luce ac disciplinarum omnis generis perfectione parum dignum videatur, prorsus abiiciendum esse crepent. *Res* enim, dictitant, *res*, non *verba* cognoscenda, et, si sermoni addiscendo aliquantum temporis studiique concedi oporteat, hoc in primis *patrio*, deinde linguis quae hodie vigent florentque, insumendum, non

antiquis istis ac dudum emortuis, quarum ad vitae nostrae rationes, nisi nullus, certe perquam exiguus habeatur usus; reipublicae serviendum, rem familiarem tuendam, belli ac pacis artes colendas; patriae amore teneras mentes imbuendas, non exterarum, quaeque diu evanuerunt, nationum inani admiratione implendas: qua qui teneantur, verendum esse, ne ad suae gentis, aut populi, aut civitatis, res ac negotia sedulo pertractanda adamandaque frigescant. — Speciosa sane optimorum virorum oratio! quaeque, praesertim si verborum copiam ornatumque quem admittit ad eam adiunxeris, fucum faciat imperitioribus, voluntatesque quo velit facile impellat. Accedit quod quae proclivia sunt, vulgo anteponuntur laboriosis; nec parentum plurima pars quidquam magis requirunt, quam ut liberi disciplinae seu publicae seu domesticae spatia atque curricula quam citissime emensi, muneribus ac negotiis, quibus res, locus, auctoritas, honores parentur, gerendis fiant idonei.

Non consilii quidem nostri est, neque huius aut loci aut temporis, ut singula haec aliaque in veterum linguarum studium quae cumulantur crimina, perpetua quadam oratione diluere, aut rationes ab adversariis ad id deprimendum allatas cum pulvisculo auferre atque refutare conemur. Tantum dicamus. Quod verborum ac rerum quaesita oppositione linguarum studiis obtrectare volunt, faciunt perridicule: quasi linguam accurate addiscere nihil sit nisi verba et voces vocabulorumque formas memoria sepire; aut quasi sine rerum ac sententiarum, quas, qui lingua quadam utuntur, sermone vel scriptis explicuerunt, quaeque una cum verbis, rerum signis notisque, menti traduntur, infinita multitudine ac varietate, linguae qualiscunque, nedum tam multiplici rerum gravissimarum scientia et doctrina refertae, qualis Graecorum et Romanorum sermo omnium consensu habetur, compotem fieri liceat. Quo ipso iam refelli apparet quaecunque contra veterum linguarum utilitatem inferuntur argumenta. An scripta poëtarum, historicorum, oratorum, philosophorum, medicorum, mathematicorum, astronomorum, rhetorum, grammaticorum, quos Graecia Latiumque tulit, quibusque tempus pepercit, legere, explicare, pertractare, nihil aut parum prodesse dicemus? Maximarum autem artium a veteribus traditarum scientiam accuratam consequi, summorum ingeniorum, quibus in omni paene dictionis genere abundat antiquitas, opera penitus cognoscere, eorumque pulchritudine perfrui se posse nemo arbitretur, quin ipsos fontes limpidissimos, linguas dico veteres, adierit, neque versionum tantummodo, commentariorum, epitomarum, lexicorum rivulos plerumque turbidos ac lutulentos anxie consectetur. Patrii vero sermonis, cui ab adolescentulorum optimo quoque summam curam adhibendam esse recte praecipiunt, patrii, inquam, sermonis sive studio et exercitationi, sive etiam perfectioni, nihil magis conducere puta, quam veterum linguarum, maxime Graecae, incredibili quadam copia, libertate, subtilitate, suavitate, absolutione, ceteras superantis, scientiam. Cuius quidem acerrimo studio quis bene sanus ingeniorum vim potius hebescere,

vel retardari incrementa, quam aciem intendi ac processus maturari contendat? Quis porro rem publicam privatamve ab iis qui Graecas et Latinas litteras linguasque ignorant, melius curari aut promoveri, quam ab his qui eas bene didicerint, nisi forte per iocum aut risus captandi causa, affirmet? Aliquid saltem dicerent, si omni alia scientia remota, hoc unum genus persequi, nec quidquam praeterea in vita agere vellemus discipulos. Sed si hoc disciplinae iuventutis, quae litterarum studiis aut totam se dedit, aut iis mentem tantum excolere vult, quasi fundamento posito, ceterae quoque artes, quibus formantur ingenia, aptaque fiunt rebus gerendis, proponuntur omnibus, ut, quo quemque animus ferat, ad eam studium suum maxime applicet; scire velim, quid tandem detrimenti capiat respublica aut iuventus scholarum magistris operam dans, si graece et latine scire studeant adolescentuli? Detrimenti inquam? quasi studia haec ulli unquam nocuissent, aut nocere possent, quae potius ad ingenii animique vires acuendas, ad cogitandi subtilitatem, ad dicendi, et quidem plane et dilucide et ornate dicendi scribendive facultatem augendam omnium maxime conferre in confesso est. Neque, si quis aliena et tempore remota diligat vel admiretur, idcirco recentia ac sua bona continuo spernat contemnatve necesse videtur. Immo prisca cum novis scienter comparando utrisque suum constituet pretium, recentia autem, ab antiquis maximam partem profecta, multo intelliget melius, itemque prudentius aequiusque iudicabit, nec admittet, ut nimio aevi aut populi sui abreptus amore vel studio, fiat ineptus, et ridendum se praebeat peritioribus.

Iam satis, opinor, intelligitur, quam iniqua sint quae de veterum linguarum litterarumque studiis, eximia hac puerilis disciplinae parte, nonnullorum feruntur iudicia. Quibus, si iam ad cantilenam illam suam confugiant, in hac tanta artium ac disciplinarum, in quibus utilitas quaeritur necessaria, varietate et numero, tempori parcendum esse clamantes, neque pueros aut adolescentes, quum tam multa ad vitae usus addiscere coacti, rerum suarum satagant, etiam onerandos esse scientia quae, ad summum, ornare hominem possit, adiuvare parum aut nihil; respondebimus, ipsos vineta sua caedere, qui, quae male instituerint, perversis etiam rationibus tueri ac defendere conentur. Omnis enim educationis et disciplinae finem primarium, sine ulla dubitatione, haberi hunc, ut, quibuscunque animum atque corpus humanum natura instruxit viribus, iis, pro aetatis, sexus, loci et conditionis modo, assiduae exercitationis ope, duce magistro, recte et facile uti discat iuventus et assuefiat. Quo si dirigantur, ut profecto dirigenda sint, et parentum et educatorum et praeceptorum consilia atque instituta, planum fieri, ut eo perveniant, partim artium et disciplinarum tradendarum potius *delectu* quam *copia*, quae memoriam solum magis oneret quam exerceat, partim docendi certa via et ratione enitendum esse: antequam militem, aratorem, iurisconsultum, medicum, magistratum formes, *hominem* esse fingendum, qui, quo perfectior in omni humanitatis parte fuerit, eo aptior ad mu-

nerum atque negotiorum quodlibet, eo utilior reipublicae, eo gratior civibus, propinquis, amicis, denique omni virtutis laude cumulatior futurus sit. Quod si concesseris, etiam illud concedendum esse, ad omne humanitatis genus excolendum nihil magis facere quam illa ipsa verissimo nomine hoc appellata humanitatis studia, quorum litterulae Graecae et Romanae praecipua pars merito habentur. Nam et memoriam exercent, et iudicium acuunt, et sensum pulchri ac decori excitant aluntque, et cogitandi assuefaciunt labori, abditaque quaerendi et investigandi desiderium instillant, et mentem multiplici ac praestanti imbuunt doctrina, animum denique ad honesti ac virtutis amorem impellunt, ad verae laudis studium fingunt formantque. Quid igitur, quaeso, utile sit habendum, si haec nauci facias? Absit enim ut quaestus causa litteris et ipsi operam demus, et iuventuti, quae disciplinae nostrae traditur, tam sordidi instituti seu consilii auctores fiamus. Quid enim sperandum,

— — — *haec animos aerugo et cura peculi*
quum semel imbuerit? — — —

Nec sellularias quasdam artes profitemur, quarum qui unam aliquam multo didicerit labore, satis se profecisse putet, etsi ceterarum plane sit rudis; sed liberalium artium ac doctrinarum studiis initiari volumus adolescentes, hoc est, iis quae homine libero liberaliterque educato dignae sunt, quae ingenuum decent adolescentem. Quae si mentem perficiunt, ingenium excolunt, animum emendant, mores emolliunt, si liberam quamdam erudito afferunt oblectationem, satis lucri eos discentibus afferri contendimus, ista quae toties iactari audias, *Quid inde? Cui bono?* turpe quaeri putantes. Quid? quod egregie falluntur qui ex veterum linguarum litterarumve studio ad ceteras quas colimus artes aut disciplinas quidquam boni vel commodi redundare negent. Ut enim taceam, has, si a paucis recesseris, a priscis Graecis partim inventas, partim insigniter auctas atque perfectas, tum in hanc quae hodie obtinuit formam redactas, ex eorum scriptis peti oportere, certe sine horum cognitione vix satis perspici ac teneri posse; ut nihil dicam de litteris artibusque elegantioribus, quae ex antiquis illis pendent totae; ut omnem antiquitatis memoriam in regionum, populorum, rerum publicarum, legum, morum, consuetudinum, culturae, litterarum, originibus, statu, indole, incrementis, vicibus, missam faciam; quorum tamen ignarum esse, quemnam, quamvis mediocriter doctum, haud pudeat vel poeniteat? Ut cunctas has quantumvis magnas studiorum antiquitatis utilitates ne commemorem: num ipsam docendi scribendique rationem, in qua veterum auctorum praestantissimi sic excelluere, ut vel ad mediocres laudis huius non minima pars redundarit, parum profuturam esse nostris hominibus, qui in eodem vel simili studio versantur, arbitramur?

Enimvero hanc ipsam veterum imitationem sunt etiam qui reprehendant; qua non ingenii modo vim frangi queruntur, sed

etiam operum, quae maxime ingenio debentur, summam virtutem, quae et argumenti et cogitationum et orationis quadam proprietate cernitur, prope totam perire. Nimirum hoc illud esse, quo Graeci tam admirabiles facti sint, quod non habuissent quos imitarentur; neque tamen alias illos didicisse linguas, sui sermonis studio unice contentos. Quidni igitur nobis idem tentandum? quidni nostra potius fruendum sapientia putemus, quam aliena? — Quos sic cavillantes magis quam ex animi sententia loquentes, continuo hortari itemque monere licet: Audeant utique suo modo sapere, fruantur suo ingenio, suis artibus, si possint! Videant tamen, ne perpaucos reperiant iudicii tam perversi, ut *frugibus inventis, glande vescantur.* Facile

> Offenduntur enim quibus est equus, et pater, et res.
> Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
> Aequis accipiunt animis, donantve corona.

Sed, remoto ioco, quid est quod communem mortalium sortem aegre ferant? Quorum qui inferiores aetate vitam ingressi sint, superiorum inventis utantur necesse est. Idem vero, non contrarium, ut perperam iudicant, Graecis contigisse, persuasum habeant: apud quos, ut unum tantum scriptorum genus nominem, poëtarum optimum quemque Homeri vestigia secutum esse constat. Neque idcirco Archilochi, Alcaei, Pindari, Aeschyli (qui dramata sua *epularum Homericarum frustula* ipse appellasse fertur) aut Sophoclis ingenia, omnium iudicio maxima, fracta aut debilitata esse apparet. Nec Virgilium, credo, aut Horatium dedecuit, quod ad Graecorum exempla totos se componerent. Atqui singulis his quos diximus, et aliis multis quos, si tanti esset, laudare possemus, haud tamen defuit proprium illud ac sui simile, quo a ceteris eiusdem generis facillime distinguantur; haud defuit vatibus Romanis *spiritus et os magna sonaturum*; et gravitatem ac magnificentiam patrii sermonis summa cum laude retinuerunt. Ceterum praedicanda haud dubie Graecorum est felicitas, qui non peregrinos, aut tempore nimium remotos, sed suos solum imitarentur, eosque excellentes in quacunque arte ac disciplina artifices atque magistros; ut per longam annorum seriem suo tantum sermone, suis mythis, suis religionibas, suis moribus usi sunt. Quam tamen singularem felicitatem genti huic multis de causis unicae invidere velle, aeque puerile esset, ac ridiculum, in re longe dissimili, similem experiri fortunam.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORVM ET MATHEMATICORVM.

MICHAEL POLINSKI, Phil. D., Acad. Florent. Socius, Matheseos Prof. P. E., diebus Lunae et Jovis ab horae VIII matutinae dimidio ab IX. Martis autem et Veneris a IX ad XII^{mae} dimidium, universae Algebrae principia Joanne Sniadeckio duce, hoc ordine exponet. 1. Cunctis operationibus, tam in simplicibus, quam in exponentialibus, radicalibus, et imaginariis quantitatibus, monstratis, aequationes determinatas, indeterminatas inferiorum atque superiorum graduum illas tractabit. Quibus accedet explicatio serierum recurrentium, methodusque inveniendi terminum generalem et summas serierum, ubi natura et proprietates fractionum continuarum explanabuntur: deinceps sequetur tractatio de functionibus transcendentibus, logarithmicis scilicet et arcubus circulorum simulque de tabularum tam logarithmicarum quam trigonometricarum condendarum ratione, earumque usu. 2. Applicationem Algebrae ad lineas curvas docebit, exposita primo doctrina analytica de linea recta et plano, et variis utriusque positionibus definiendis. Lineadenique secundi ordinis, sectionum conicarum nomine notatas, omnesque earum proprietates ex aequationibus secundi gradus eruet et demonstrabit.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI, Phil. D., Societ. Ital. Sodalis, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O., Ordinis huius h. t. Decanus, diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII^{vae} dimidio ad IX. exponet principia Calculi differentialis regulasque differentiandi omnes functiones unius vel plurium variabilium tradet, tum usum eiusdem in inveniendis maximis et minimis quantitatibus functionum unius vel duarum variabilium, in investigandis proprietatibus Curvarum superiorum ordinum, demonstrabit. Perget hinc ad Calculi integralis tractationem, ibique 1. de integratione aget functionum unius variabilis, qualescunque eae sint functiones, commensurabiles, incommensurabiles, integrae aut

fractae, algebraicae vel transcendentes; 2. de integratione aequationum differentialium omnium ordinum, quo loco praecipue disseret de separatione variabilium, de inveniendo factore, cuius ope aequatio differentialis in nonnullis casibus fit integrabilis, deque solutionibus particularibus; 3. de integratione differentialium partialium omnium ordinum. Denique explicabit Methodum Variationum, cuius latissimus usus est in Mechanica caelesti et analytica. Postremo tradet Mechanicam, ubi leges aequilibrii, parallelogramma virium ac leges motus ope analyseos exponet.

FELIX DRZEWINSKI, Phil. D., Universitatis Adjunctus, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX ad XImae dimidium Physicam traditurus, praemissis notionibus de universis corporum proprietatibus, statim perget ad expositionem Staticae et Dynamicae solidorum et liquidorum quibus absolutis, sequentur tractatus de Calorico, Aqua, Aëre, Electricitate et Magnetismo; postremo doctrina de Luce, cuius singulas partes accurate exponet.

B. STANISLAVS JVNDZIŁŁ, Phil. et Theol. D., Reg. Societ. Litt. et Oecon. Vars., Caesar. Societ. Mosquens. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab hora II ad IVtae dimidium, primo Zoologiam universam ita tradet, ut notionibus de natura animalium generatim expositis, eorumque classibus et ordinibus ad recentissimas virorum doctorum animadversiones descriptis, genera omnia et species singillatim percenseatur, eorumque, maxime indigenarum, patria, mores, usus etc. indicentur. Deinde Botanices doctrinam expositurus, præmissa brevi disciplinæ huius historia, 1. Elementorum a se vulgatorum ductu Physiologiam vegetabilium explanabit; 2. Terminologiam botanicam docebit totam; 3. Varia, quæ dicuntur, systemata, ad scientiæ huius studia allevanda iuvandaque a viris celeberrimis excogitata, suo iudicio interposito, enarrabit, rationem Linneanam præ ceteris diligenter penitusque cogniturus. 4. Denique plantarum generum ac specierum ad methodum sexualem determinationem ostendet, tum Horti Botanici copiis adhibitis, tum excursionibus botanicis una cum auditoribus suis usurus.

IGNATIUS HORODECKI, Phil. D., A Cons. Aul. Univ. Adiunctus, Solis, Merc. et Sat. diebus, ab hora II ad IV. Mineralogiam ad ultimum Wernerianum systema traditurus, nova Mineralia in hoc systemate et in Oryctognosia Hoffmanni descripta adiiciet. Absoluta historica parte Mineralogiae, praecipue de variis divisionibus systematicis mineralium et theoriis Geologiae, sive hypothesibus cosmologicis, neptunicis, vulcanicis et plutonicis, de formatione montium et venarum, tractabit Terminologiam characterum propriorum solidis, friabilibus, fluidis et aëriformibus, cum demonstratione in exemplis colorum et figurarum, nec non elemen-

torum Crystallographiae Werneri et Hauii; postea de figuris organicis seu petrificatis et impressis, de fractura, rasura, ceterisque signis externis et internis. Demonstratis his caracteribus, aggredietur systematicam demonstrationem mineralium simplicium sive Oryctognosiam, quantum fieri poterit, applicatam ad usum et Geologiam. Oryctognosiam excipiet Geognosia, sive demonstratio mineralium compositorum, quae constituunt in stratis varios montes, et quorum fragmenta, ad demonstrationem huius rei apta, locis adiacentibus Vilnae exstant.

ANDREAS SNIADECKI, Ph. ac Med. D., a Cons. Status, Chemiae Prof. P. O. Elementa Chemiae Universae ad Institutionum suarum ultimam editionem, novis additamentis auctam, exponet, experimentisque ac demonstrationibus in publico Laboratorio firmare conabitur diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI[mae] dimidio ad XII.

ANTONIUS WYRWICZ, Phil. D., bis per hebdomadem, diebus et horis designandis, Trigonometriam sphaericam duce Iohanne Sniadeckio analytice exponet, atque ex una aequatione fundamentali tres principales eruet, ex his vero Cagnolii, Delambrii et Neperii illas evolvet: omnesque casus ad resolvendum triangulum sphaericum requisitos hac doctrina contineri ostendet. Sphaerae natura breviter monstrata, usum Trigonometriae sphaericae ad resolvenda problemata astronomica, praesertim ad eruenda et definienda astrorum loca uberius exponet.

CAROLVS PODCZASZYNSKI, Phil. Mag., Architecturae generalia praecepta ad Durandii methodum (diebus et horis designandis) traditurus 1) Disciplinae huius vim ac naturam exponet. 2) Elementa, ad cuiuslibet aedificii structuram et coagmentationem pertinentia, multiplici ratione considerabit. 3) Varias horum elementorum, coniunctiones enumerabit et describet. 4) Quo facilius architecturae studiosos ad cognitas iam aedificii partes secum coagmentandas ac in unam structuram componendas instituat, insignem aedificiorum ad varios usus iam paratorum copiam curiosius excutiet, et ad artis praecepta initio stabilita exiget, criticam sic disciplinae partem expositurus. Praecepta vero ubique excipient exercitationes graphicae, ad eum finem suscipiendae ut 1) Variorum aedificii elementorum forma et reciprocus positus in proiectionibus, sic dictis, effingantur. 2) Plurima exemplaria coniunctionum, aedificii partes constituentium, brevi et compendiaria via in tabulas transferantur. 3) Postulatorum varii generis aedificiorum idonea specimina adumbrentur.

CAIETANUS KRASSOWSKI, Phil. D., a Cons. Aul., Univers. Adiunctus, ab initio anni 1820 bis per hebdomadem, diebus et horis designandis, Elementa Agronomiae tradet.

Diebus Mart. Iov. et Sat. ab horae XI dimidio ad XII. Topographiam rationemque positionum geometrice delineandarum, ad usus civiles, oeconomicos et militares accommodatam, docebit Magister ad hoc munus designatus.

II.

PRAELECTIONES MEDICORVM.

JOANNES ANDREAS LOBENWEIN, Medicinae et Chirurgiae Doctor; Status a Consiliis; Ordinis S. Annae II Classis Eques; Caesareae Academiae Scientiarum et Medico-Chirurgicae, Collegii Praefectorum rei Medicae, Caesareae Societatis Philantropicae et Pharmaceuticae Petropolitanae, nec non Vilnensis Medicae Sodalis; Universitatis litterarum Cracoviensis et Casanensis Membrum honorarium; Universitatis Caesareae Vilnensis Professor Anatomiae humanae et Medicinae forensis Publicus, Ordinarius, et Ordinis Medicorum Decanus, diebus Martis et Veneris ab hora IX ad XI^{mae} dimidium, diebus vero Mercurii et Saturni ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. praemissis generalibus Anatomiae prolegomenis, ipsarum denique corporis humani partium structuram, situm et nexum eo demonstrabit ordine, quo imprimis ossa, ut partium reliquarum omnium fulcra et fundamenta considerantur in statu sicco; perget hinc ad alteram Osteologiae partem, statum scilicet expositurus ossium recentium, eorumque vincula et indumenta. Proxime iam obvios indagabit musculos, singulorum insectiones, decursum et actionem indicando. Absolutis hoc pacto praeviis Osteologiae, Syndesmologiae et Myologiae demonstrationibus, universam aggredietur Splanchnologiam; antequam vero ipsa cavitatum internarum viscera pervestiget, tegumentorum externorum fabricam perlustrabit. Viscera demum imi ventris, porro thoracis, denique capitis, nec non sensuum externorum organa oculis subiiciet, toto autem Splanchnologiae decursu glandulas suo singulas examinabit loco, ut Adenologia simul cum Splanchnologia pari semper incedat gressu. Cordis tamen, intimi utpote circulationis organi, anatomiam ex splanchnologia in angiologiam, sicut illam cerebri, primi scilicet fontis systematis nervosi, in nevrologiam transferet, ut a corde continuum prosequatur tractum vasorum arteriosorum venosorumque, nec non absorbentium, atque demum a cerebro abditas nervorum origines derivando, praecipuas illorum ramificationes, plexus et ganglia, per omnem corporis humani compagem quam latissime dispersa et irretita, evolvat. — Singulas denique humani corporis partes recentium, quantum fieri poterit, cadaverum dissectione demonstrare, quoties-

cunque vero hisce locus non fuerit, praeparatorum siccorum, hunc in usum conservatorum, nec non iconum operem illustrare conabitur. Totam ceterum Anatomiae doctrinam ad sua dictata traditurus, tironibus repetitionis gratia commendat Rosenmülleri compendium Anatomiae latinum, sive fusius, lingua vernacula exaratum, opus Brandtii, idiomate verum germanico illud Hildebrandi vel gallico Anatomiam Boyeri.

Idem diebus Mercurii et Saturni ab hora III ad IV forensem docebit medicinam ad mentem Metzgeri ex versione latina Keupii, ac editione germanica quarta Gruneri, sedulo annotaturus graviora omnia, quae ulterior doctissimorum virorum stabilivit sententia, vel experientia recentior suppeditavit.

MICHAEL HOMOLICKI, Med. D., Physiologiam docebit diebus Mart. Jov. et Ven. ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. Universa de vita doctrina ad Andreae Sniadeckii V. Cl. Theoriam corporum organicorum strictim tradita, physiologiam corporis humani uberius exponet, inque singulis functionibus accuratius tractandis rerum ordinem a Bichatio institutum, a Sprengelio autem, Lenhoszékio, Richerando et Magendio perfectum, servabit, potiora tamen huius disciplinae principia ad Andreae Sniadeckii in laudato opere sententiam explicabit. Cuncta vero physiologiae hominis praecepta et animadversionibus et experimentis doctissimorum virorum, qui nostra potissimum aetate inclaruerunt, firmanda vel locupletanda, et observationibus quas Anatomia comparata suppeditabit passim illustranda curabit.

AVGVSTVS BECV, Phil. et Med. D., a Cons. Aul., ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Reg. Soc. Vars. et Jener. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Iov. et Sat. ab hora IX usque ad XI^mae^ dimidium, exponet Pathologiam generalem et specialem, sua elementa secuturus; mensibus autem aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissis Anatomiae et Physiologiae popularis praeceptis, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accommodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

IOANNES WOLFFGANG, Phil D., a Cons. Aul., Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. E. diebus Lu. Mart. et Iov. ab h. II ad IV^tae^ dimidium, priore semestri, praemissa brevi utriusque disciplinae historia, tradet doctrinam de medicamentis simplicibus seu Pharmacologiam, in qua propositis omnibus corporibus, e triplici naturae regno in medicina usurpari solitis, eorumdem classes, ordines, genera et species indicabit; singulorumque exponet characteres, indolem, patriam, tempus, acquirendi vel colligendi et conservandi rationem; atque his omnibus adiunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae ab adulteratis, cor-

ruptis et falsis distinguere liceat. Altero tum semestri ad doctrinam de medicamentis compositis seu Pharmaciam perrecturus, explicatis primum iis omnibus conditionibus et regulis, quae ad Imperii leges, vel expeditionem formularum a medicis praescriptarum, vel calculi artem in Pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos Pharmacopoeos proxime spectant; describet cuiuslibet speciatim praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi, operationes pharmaceuticas in laboratorio coram auditoribus perficiet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium ubique detegi possit.

FERDINANDVS SPITZNAGEL, Med. et Chir. D., Status a Consiliis, Caes. Soc. Mosqu. Scrut. Nat. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae Medicae Prof. P. O., diebus Lun. Mart. Jov. et Vener. ab horae XI^mae^ matut. dimidio usque ad XII primo Therapiam docebit generalem, quacum Materiam medicam generalem et Pharmacocatagraphologiam, seu methodum formulas medicas praescribendi, coniunget. His absolutis, in Materia medica speciali tractabit singula corpora medica plus minus usitata, copiosius autem de iis disseret, quae in potioribus Europae pharmacorum officinis, maxime vero in Pharmacopoea Rossica et Pharmacopoea castrensi Ruthenica asservata prostant. Postremo Toxicologiam sive doctrinam de venenis exponet, eorumque noxam, antidota, et, si quis est, in re medica usum ostendet.

JOSEPHVS FRANK, Phil. et Med. D., Coll. a Cons., Collegii Praefectorum rei medicae Sodalis, Ordinis S. Annae II classis et S. Vladimiri IV classis Eques, Therapiae specialis et Clinices Prof. P. O., quotidie ab hora VIII matutina ad IX, in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis aptabit, tradetque sexies per hebdomadem, ab hora IX ad X, ad praecepta sua praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad febres et morbos cutis, cerebri, sensuum, medullae spinalis, nervorum, tracheae, pulmonum, cordis vasorumque sanguinis circulationi inservientium spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V ad VI vespertinam.

VENCESLAUS PELIKAN, Med. et Chir. D., Cesareae Med. Chir. Academiae Petropolit Socius litterarum commerciis coniunctus, Chirurgiae et Clinices Chirurgicae Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris ab horae VIII dim. ad IX Chirurgiam universam docebit. Declaratis igitur disciplinae huius argumento, utilitate atque nexu cum aliis Medicinae partibus, ad tractanda singula capita Chirurgiae tum generalis tum specialis accedet. Denique usum fasciarum machinarumque ostendet, et operationes cruentas instrumentorum ope acutorum perficiendas in cadaveribus demonstrabit. Praeterea in nosocomio Clinico Chirurgico quotidie horâ X matutina et VI pomeridiana, disciplinae suae Alumnos, quomodo doctrinam

studio comparatam ad usum accomodari oporteat, exemplis docebit.

NICOLAVS MIANOWSKI, Ph. M. et Ch. D. a Cons. Aulae, Regiae Societatis litterariae et Oeconomiae Varsav. nec non med. Vilnen. Sodalis. Artis obstetriciae Prof. P. O. lectiones a se habendas ita disponet, ut 1) virilis sexus discipulis per totum annum, quem vocant scholasticum, Mercurii et Saturni diebus ab horae VIII matutinae dimidio ad horam IX universae artis praecepta Froriepio duce tradat, et doctrinam de morbis praegnantium et puerperarum, nec non de iis recensnatorum, in quantum artis obstetriciae res est, explicet. 2) Feminis, obstetricum munere in Imperio Rossico fungendi potestatem quaerentibus, item bis per hebdomadem, Martis et Veneris diebus, ab hora IX matutina usque ad XImae dimidium elementa in obstetricum usum nuper a se Vilnae edita exponat. Praeterea artis obstetriciae exercitationes in nosocomio Academico, in utriusque sexus auditorum gratiam rite moderabitur.

LVDOVICVS HENRICVS BOIANVS, Med. et Chir. D., Coll. a Cons., Ord. S. Annae II cl. et S. Vlad. IV cl. Eques, Caes. Acad. Scient. et Med. Chir. Petropolit., Societ. nat. curios. Mosqu. aliisq. Societ. litt. adscriptus, Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1. Diebus Lun. Mart. Iov. et Vener. ab horae II dimid. ad III. Veterinariae Medicinae praecepta tradet. 2. Opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, ex iisque quae huic consilio idonea visa fuerint, in praelectionum usum convertet. 3. Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. iisdem horis habendis, protozoorum, polyporum, animalium radiatorum et molluscorum, vermium intestinorum et exterorum, insectorum, crustaceorum, arachnidum, piscium, amphibiorum, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in Museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; in auxilium vocatis, ubi necesse fuerit, lineamentis in tabula nigra ducendis.

VINCENTII HERBERSKII, Med. D., Universitatis Adjuncti, exteras Medicorum scholas Academiae iussu nunc visentis, vices in Nosocomio clinico geret Franciscus Wróblewski Medico-Chirurgus.

ANTONIVS KIERSNOWSKI, Medicus, Anatomiae humanae Prosector, repetitiones anatomicas instituet diebus Lun. Mart. et Iovis post meridiem ab horae IIIae dimidio ad horae IV dimidium; horis autem vespertinis, serius indicandis, studiosorum operam in dissectionum anatomicarum periculis faciendis, invigilante Anatomiae Professore, moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM DISCIPLINARVM ETHICO-POLITICARVM.

ANGELVS DOWGIRD, Scholarum Piarum, Logicam ad sua dictata tradet vernaculo sermone diebus Martis et Veneris mane ab horae VIII^{ae} dimidio ad IX. Cursum praelectionum, praeterito anno, saltem quoad potiores huius doctrinae partes, absolutum, hoc anno ulterius persequetur. Videlicet, exposita breviter significatione Logices tum naturalis tum artificialis, praemissaque notitia celebriorum de hac arte scriptorum, tractabit primum de facultatibus animae simpliciter consideratis, tam primariis, nempe de sensibilitate seu facultate sensationum (ubi de natura ac sede animae), de intellectu et de reflexione seu cognitione sui; quam secundariis, iis scilicet, quae non aliter innotescunt nisi per comparationem idearum ad priores facultates pertinentium. Mox aget de origine idearum, de iudicio, de praestigiis sensuum, de societate, quantum valeat ad acquirendas ideas, de mutuo nexu idearum cum suis signis seu terminis, de attentione, de methodo analytica atque synthetica, de propositionibus, de criteriis veritatis, de ratiocinatione eiusque nexu cum notionibus sensu acquisitis, de causis errorum. His denique subiungendo analysin illius facultatis animae, quae voluntas dicitur, cursum Psychologiae rationalis complebit.

IGNATIVS OŁDAKOWSKI, Jur. D., diebus et horis designandis tradet Jus naturae, politicum et gentium atque Diplomatiam.

ALOYSIVS CAPPELLI, Jur. Civ. et Crim. vet. et recent. celebr. Gent. atque Juris Canonici P. P. O. diebus Martis et Veneris ab horae XI^{mae} dimidio ad XII historiam Juris Romani inprimis enarrabit, in qua varias Jurisprudentiae aetates, ipsiusque tum antiquae, tum novissimae, instauratis in Italia studiis, praecipuos Auctores producet; ac deinde ius Personarum aggredietur. Diebus vero Mercurii et Saturni hora eadem varios persequendorum maleficiorum modos, quibus veteres et recentiores Gentes usae sunt, recensebit. Quare singulas processus criminalis partes exornaturus, in ea potissimum illustranda immorabitur, in qua agitur de reis convincendis, ac de probationibus iuridicis, modisque variis, quibus eaedem conficiuntur, nec non de uniuscuiusque pondere et usu. Tandem diebus Lunae et Jovis ab hora XI ad XII. notione, et divisionibus Juris Canonici, ipsiusque fontibus et collectionibus indicatis, de Potestatis Ecclesiasticae origine, natura ac indole generatim, speciatim vero de ea, quae tam in universam Ecclesiam, quam in Ecclesias singulares se exerit, disseret. Quibus praestructis nexum Ecclesiae cum Re-

publica, et mutua Sacerdotii erga Imperium, et Imperii erga Sacerdotium iura et officia ad suum Juris Canonici Manuale, hoc anno Vilnae editum, exponet.

IGNATIVS DANIŁOWICZ, Jur.Civ.Magister, Vnivers. Adjunctus, Jus Criminale Imperii Rossici hoc anno, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, ab hora III ad IV pomeridianam vernaculo sermone traditurus, 1) Naturam, indolem atque partitionem delictorum et poenarum duce Cl. Horebladio edito generatim exponet; 2) de delictis eorumque poenis singillatim ad propria dictata aget, in quibus ordinandis methodum a Cel. Feuerbachio observatam retinebit, subiungens ea quae de quolibet delicto in legibus patriis sancita occurrunt; 3) Quantum per tempus licebit, processum civilem patrium enarrabit.

IOANNES ZNOSKO, Phil. D., Regiae Societatis Litter. Varsav. Sodalis, a Cons. Aul., Oeconomiae politicae Prof. P. O., diebus Lunae et Jovis ab horae VIII dimidio ad IX, Martis vero et Veneris ab hora IX ad X et dimidium 1. Oeconomiam politicam proprie sic dictam, aeque ac doctrinam de reditibus publicis ad Elementa vernaculo sermone a se vulgata enarrabit, rationem Adami Smith potissimum explicaturus, additis recentiorum hac de re scriptorum opinionibus. 2. Duobus mensibus aestivis rei mercatoriae disciplinam tradet duce Büschio.

IGNATIVS ONACEWICZ, Philosophiae Magister, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris ab hora V ad VII^mae^ dimidium post meridiem praemissis Litteraturae historiae noticiis ad Wachlerum suaque dictata, tradet historiam antiquam et recentiorem duce Heerenio: medii autem aevi praeeunte Johanne Müllero. Rerum gestarum expositio ut auditorum utilitati inserviat, opportunas crebrasque adiunget animadversiones in quibus disseret de ortu, progressu, amplitudine, potentia, atque interitu regnorum, causas et effectus variarum immutationum diligenter perquiret, tum populorum leges, mores, consuetudines, religiones, artes, disciplinas ac praeclara Virorum illustrium merita diligenter enucleabit.

JOHANNES CZERNIAWSKI, Philos. Doct., Collegiorum a consiliis, Ordinis S. Vladimiri IV cl. Eques, Petropolitanae Societatis cultorum Litteraturae, Doctrinarum ac artium liberalium, Societatisque Casanensis Cultorum litteraturae patriae Sodalis, Litteraturae ac historiae Rossicae Prof. P. O. historiam Rossicam diebus Mercurii ac Saturni ab hora XI ad XII ad dictata sua ordine pertractabit.

JOANNES CHRYSOSTOMVS GINTYŁŁO, Theol. Magister, diebus Lun., Mart., Jov. et Vener. ab hora III ad IV. Hermeneuticam biblicam generalem ad dictata sua breviter tradet, et de prophetis librisque V. T. poëticis, praeeunte Jahnio, disseret. Idem praemissa Introductione in scriptores Sacros Novi Foederis, eiusdem libros historicos seu quatuor Evangelia, Schnappingero duce, illustrabit.

ANDREAS KŁĄGIEWICZ, Phil. et Theol. D., Can. Kamenec. Theologiae Dogm. et Historiae Eccl. Prof. P. O. diebus Mart., Merc. et Jovis, ab hora VIII ad X$^{mae.}$ dimidium, Theologiae Dogmaticae cursum a tractatu de Religione et Prolegomenis auspicabitur: quibus expositis, primam partem Institutionum, quae de Deo et Homine ad imaginem Dei creato inscribitur, duce notissimo Engelberto Klüpfelio explanabit. Idem eadem hora, sed Veneris die, Historiam Eccl. trium primorum seculorum, praemissa Introductione, tradet, ad ductum cl. Matthiae Dannenmayeri in Auditorum gratiam se applicaturus; gesta autem Ecclesiae, quae ampliore dilucidatione et examine indigere videbuntur, e suis commentariis ad critices regulas exacte recensebit.

IOANNES CANTIVS CHODANI, Theol. D., Theol. moralis ac pastoralis Prof. P. O. Ordinis huius Decanus, diebus Lunae, Mart., Jov et Veneris ab horae X$^{mae.}$ dimidio ad XI universam doctrinam Moralem Christianam novo cursu enarrabit; hoc autem anno, praemissis quae huius disciplinae, naturam, utilitatem, fontes, adminicula et historiam attinent, ad contemplandas hominis facultates cum physicas, tum potissimum morales perget, legesque quas natura humana in virium harum usu et exercitatione observat. Derivatis hinc notionibus generalibus actionis humanae, libertatis, legis moralis, obligationis, conscientiae, virtutis, vitii seu peccati, imputationis, felicitatis, ac finis hominis ultimi, positisque generalibus totius doctrinae Moralis principiis, singula haec ad disciplinam moralem Christianam in specie applicabit. Tandem de officiis Christiani ad Deum et se ipsum relatis, cum internis tum externis, disseret. Ducibus viris clarissimis Antonio Carolo Reybergero Profes. Vindobonensi et Francisco Pollaschekio.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, a Cons Aul. Univers. Adjunctus diebus, et horis designandis, hebraici sermonis praecepta tradet, Chrestomathiam Vateri explicabit, et librum Geneseos inde a capite XXIV interpretabitur. Idem Jahnii V. Cl. Archaeologiam Biblicam vernaculo sermone exponet.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM LITTERATURAE ET ARTIVM ELEGANTIORVM.

GODOFREDVS ERNESTVS GRODDECK, Phil D., ord. S. Vlad. IV. cl Eques, Linguae et Litterarum Graecarum et Romanarum Prof. P. O. bis per hebd. Historiam Graeco-

rum litterariam enarrare perget; quater Aristophanis Plutum atque Nubes interpretabitur hora X. In scholis Latinis Horatii Epistolas et Ciceronis Tusculanas Disp. explicabit quater per hebd. hora II pomerid. Eadem hora, Merc. et Sat. diebus, Antiquitatum Romanarum duo capita extrema de religionibus et vita privata Romanorum enarrabit; tum doctrinae Numorum Veterum elementa tradet, duce Eckhelio, et adhibitis numorum, qui apud Bibliothecam Academ. asservantur, exemplis.

IOANNES CZERNIAWSKI, Phil. D., Col. a Cons., Ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Petropolitanae Societatis cultorum Litteraturae scientiarum ac artium liberalium, Societatisque Casanensis Cultorum Litteraturae Patriae, Sodalis, Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. O. quotidie, Solis die excepta, ab hora IX ad X. linguam et litteraturam Rossicam hoc tradet ordine. Primo disseret ad dictata sua de litterarum doctrinarum ac artium in Imperio Rossico origine, incrementis, vicessitudine ac proqressu. 2) Exponet praecepta atque indolem linguae Rossicae, illustrabitque ea exemplis tum ex scriptis Auctorum, tum ex usu petitis. 3) Expositis breviter diversorum poëseos pariter atque eloquentiae generum praeceptis, recensebit clariores in quolibet genere Rossicos Auctores nonnullorumque selecta scripta enarrabit. 4) Exercitationes, accuratius addiscendae linguae Rossicae, instituet.

LEO BOROWSKI, Phil. M. Univers. Adjunctus, Poëseos et eloquentiae theoriam tradet quater per hebd. Lun. Mart. Jov. et Sat. diebus hora IV—V pomerid. Principiis, ad quae recentiores philosophi sensum pulcri et recti homini innatum exegerunt, ad artem dicendi applicatis, omnem artem oratoriam certioribus limitibus circumscribet, eiusque partes distinguet. Selecta exempla, e poëtarum oratorum, aliorumque auctorum scriptis depromta praeceptis subiunget, scribendi exercitationibus studiosorum haud defuturus.

IOANNES PINABEL, a Cons. Aul. ord. S. Vlad. IV. cl. Eques, Lun. et Merc. h. III—IV., Mart. et Ven. h. IV—V pomerid. Linguae et Litteraturae Gallo-Francorum Prof. P. E. 1) linguae et prosodiae Gallo-francorum elementa tradet 2) litterarum elegantiorum huius gentis historiam enarrabit ducibus Batteusio, Marmontelio et Laharpio. 3) vertendo in linguam Gallicam et recitando pulcherrima laudatissimorum scriptorum loca tum styli exercitandi tum pronunciationis emendandae auditoribus copiam faciet.

BENIAMIN HAUSTEIN, a Cons. Aul. Vnivers. Adiunctus, diebus Merc. et Ven. ab hora IV ad V, et die Sat. ab hora I ad II Linguae Germanicae praecepta tradet, et discipulorum germanice scribendi exercitationes moderabibitur. Idem diebus Lun. Merc. et Ven. hora I ad II. Linguae Anglicae praecepta tradet.

ALOYSIVS CAPPELLI, Jurium et linguae ac Litterarum Italicarum P. P. O. diebus Mercurii et Saturni ab horae V dimidio ad VI linguae Italicae praecepta per regulas summatim conceptas tironibus tradet; provectioribus vero litterarum humaniorum, poësis et pulcherrimarum artium, quibus Itali inclaruere, coeptam superiore anno historiam criticam persequetur.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, a Cons. Aul. Univers. Adjun. Graecae linguae elementa traditurus, expositioni Grammatices subiunget explicationem Chrestomathiae Jacobsii. Idem Luciani libellum qui inscribitur, Concilium Deorum, et Theogoniam Hesiodeam ex editione Cl. Wolfii interpretabitur diebus Mart. et Sat. ab horae XI dimidio ad XII.

LVDOVICVS SOBOLEWSKI, Phil. Magister, Lun., Mart. Jov. ac Ven. diebus, h. I. pomer. Ciceronis de Oratore libros tres, et Terentii fabulas, Andriam et Adelphos vernacula lingua explicabit.

IOANNES RVSTEM, a Cons. Aul. Artis delineandi Prof. P. E quotidie ab hora V vespertina ad VII regulas Artis delineandi tradet et explicabit, discipulos quoque in formis ducendis ad lampadis lucem, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, exercebit.

CASIMIRVS JELSKI, Artium Magister, Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studia reget diebus Lun., Merc. et Veneris ab horae XI dimidio ad XII.

IOSEPHVS SAUNDERS, Caesar. Acad. Petrop. et Stockholm. Sodalis, Phil. D., Chalcographiae, Artium elegantiorum ac Litterarum Anglicarum Prof. P. O. Lun. et Ven. diebus ab hora V ad VIIae dimidium, ad dictata sua, Gallo-Francorum utens sermone, alteram institutionis et disciplinae suae partem exponet, ab artis philosophia incipiens, addita vocabulorum in artibus tradendis receptorum, sive formularum, explicatione, artium liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, apud veteres populos, maxime apud Indos, Hebraeos, Aegyptios, Persas, Etruscos, Graecos et Romanos. Porro earum vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, et varios usus indicabit, quos Politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studiis omnino eae afferre putandae sint: tum, quibus rebus ad earum incrementa et perfectionem opus sit, quidque diversi caeli tractus ac regiones eo conferant, ostendet. 2. Martis et Jovis diebus ab hora V ad VIImae dimidium, nunc Franco-Gallorum, nunc Anglorum lingua utens, Litteraturae Anglicae elementa tradet, ac primo Adami Smithii Theory of Moral sentiments, tum Fergusonis Civil Society, Addissonis Spectatorem et Knoxii Moral Essays; denique Walteri Scoti Lady of the Lake etc. Collini et Grayi Odas, Miltonis Paradise lost, et Schakespearii select tragedies explicabit. 3. Artis Chalco-

lis diebus exceptis, ab hora VIII matutina usque ad meridiem.

IOANNES DAVID HOLLAND, Lun. Marc. et Vener. diebus, hora III — IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet; doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet, musicasqne auditorum reget exercitationes.

Artes Gymnasticas, quum equitationis et saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III—V. Godofr Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, Custodesque Bibliothecae Acad. Casimirus Kontrym a Cons. Aul. et Simon Felix Żukowski a Cons. Aul. Vniversitatis Adiuncti.